INITIVM A IHS DOMINO.

VIDI QVÆDAM

ERVDITISSIMA IVRIS RESPONSA

præstãtissimorum virorum Antonini Dianę, & Mauritij Girbaldi, eorumque manu subscripta sub tali dubio lata.

AN IN ECCLESIIS CATHEDRALIBVS, in quibus adsunt Statuta de Puritate Sanguinis, expositi sint admitendi, etiam si Statuta de Puritate Iuramentum, & sufficientem informationem exposcant.

ET quamuis generaliter loquantur, sine expressione specifica alicuius Ecclesiæ, attamen specialiter fuere Consulti, super quadam Præuenda Almæ Cordubensis Ecclesiæ, in Hispaniarum Regnis, & fere Vniuerso Terrarum ambitu celebratissimæ propter ipsius antiquitatem, nobilitatem, & opulentiam, quod opere pretium duxi prænotare, nam quo Ecclesia fuerit insignior, tanto eius statuta, & maximè quæ splendorem attingunt, inflexibilius obseruari debebunt.

Hi verò præclarissimi Scriptores pro expositis calculum tulerunt, suamque sententiam iuribus, & rationibus luculenter confirmarunt, sed Cordubensis Ecclesia dolore cordis intrinsecus tacta, prospiciens iustissimum, & omni laude dignissimum suum Statutum Puritatis sanguinis ita labefactari, decreuit eius incolumitati consulere, quaterus causam iuri consonam fouerct. Præcepitque mihi suo quantumuis immerito Canonico Doctorali, vt omni afectu semoto, quid de hac re sentirem ingenuè deprimerem, typisque mandarem. Ipse verò etsi omnium fratrum meorum exiguus, libentissimo animo tam honestè iussioni obtemperaui: & ideo infatigibili studio, maxima librorum reuolutione, & matura deliberatione præhabitis, prout tractationis grauitatem decet; oppositum intrepide teneo, & secu e

existimo, ex vi nostri Statuti expositis aditum interludi, & à Prebendis huius purissimç, & nobilissimç Ecclesiæ excludendos fore: si patres, & auos certos nam ostenderint, & de puritate ipsorũ sufficienter non constiterit, quod vt manifectũ faciam, singilatim fundamenta dominorũ consulentium percurram. Nam vt docuit Baldus *in l. fin. C. de impuberum, & allijs substitutionibus.* Viã ferro aperit; qui per contraria procedit, & à multis nominibus commendando Patre Diana incipiam: testificans coram Deo & Christo Iesu ad ita sentiendum non contradictionis studio, neque amore propriæ Ecclesiæ, neque alia hominum contemplatione alectum me fuisse, sed tantum ex eo, quod apud egregios Iureconsultos scriptum inueni, & secundum id, quod ex illis mens mea mihi suggesit.

N. 1. Pater Diana in sua eruditissima lucubratione *num.* 1. exordium capit à nostro doctissimo Scobar à Corro, *in tract. de purit. sanguinis 1. par. q. 8. §. 3. a num. 27.* & ei impingit, quod mordicus tenet contra expositos, quod non iure dictum existimo, nã tunc quis aliquam sententiam mordicus tenet, cum eam, pro summa pertinatia tuetur, vt cum Cicerone obseruat Amb. Calepinus *litt. M.* & Doctor Scobar validissimis rationibus iuribus, & authoritatibus expositos impugnat, eandemque Prouinciam susceperunt multi insignes iureconsulti, qui eum in scriuendo præcesserunt, & postea eodem munere functi sunt: quare à nota pertinatiç omnino immunis existit, rationes verò quibus mouetur ad ita sentiendum facile apud eum videri possũt, & per eas absolutè concludit expositos excludendos esse à Collegijs, Ecclesijs, & Confraternitatibus habentibus statutum puritatis sanguinis, siue conceptum sit verbis affirmatiuis, siue negatiuis.

N. 2. Asserit P. Diana, alios DD. circa præsentem difficultatem distinguere in hunc modum, quod si per statutum solùm requiritur, quôd admittendi non descendant ex *Iudæis*, vel Mauris, aut alia macula infectis, in tali casu expositos debere admitti, quod si in statuto cauetur, quod admittendi sint ex notis Parentibus, & puri sanguinis: tunc expositos non esse recipiendos cum hæc probare non posint. Affert Perecium de Lara, Gratianum, Ricciulium, Sanctarelum, Garciam, Girondam, Barbosam, & Velascum, eãdem distinctionem prçter adductos à Patre Diana adhibent alij Doctores, quos in discursu huius allegationis laudabo: itaque diuersitatem constituunt inter statutum affirmatiuum, & negatiuum, sed an hæc distinctio iuri consonet inferius dispiciemus *num. 28. cum sequentibus.*

Num 3. Dicit prçdictas sententias esse satis probabiles, cum tamen

Respondit Pater ... ad literam ... tho. 10. ... moralium ... tit. 96. quem post in lucem edidit ... adendo.

tamen putare absolutè in supradictis Ecclesijs Cathedralibus expositos admitendos esse, quod primo adstruit, quia ex præsumptione iuris habent puritatem sanguinis, quod sæpius firmauit Sacra Rota: vt patet apud Ludouis. *decis.* 498. & apud Coccin. *decis.* 68. hæc si formalia eius verba, sed respódetur multipliciter primo, quòd illa præsumptio puritatis nó est peculiaris circa expositos tátú, sed generaliter omnes Hispanos compræhendit, qui præsumútur Christiani veteres ab omni labe, & macula inmunes, vt decét Zeuall. *in 4. q. 900. n. 110.* & deinceps Lara *de Capel. lib. 2. cap. 4 nu. 67.* Scobar *d. q. 8. § 2. num. 1. & dicam ~~infra~~ num. 5.* & tamé hæc generalis præsumptio puritatis nó sufficit ad obtinendum in terminis statuti eam requirentis, sed debet sufficienter probari: aliàs enim absurdum sequeretur quod sola iuris præsumptione omnes macula infecti, sine vlla sanguinis puritate possét admitti, in Collegijs, Ecclesijs, & Confraternitatibus, vbi adest statutum puritatis sanguinis, quod esset valdê damnosum, & perniciosum. Vt optimé considerat Ceuallos vbi sup. *num.* 115. & euincit I. C. *in l. 1 ff. de probat.* ibi. *Quoties quæreretur genus, vel gentem quis haberet; nec ne etiam probare oportet.* & ibi gloss. Si enim omnes Hispani præsumuntur Christiani antiqui, & tamen hæc præsúptio eis non proficit, quando adest statutum, necessario sequitur, quod neque itidem proficiet expositis. [margin: 4. infra.]

N. 4. Secundo respondeo probationem præsumptiuam puritatis, non sufficere cum statutum puritatem requirit. Vt loquendo indiuidualiter de expositis docent Lara *d. cap. 4. num. 37.* Gironda *de priuil. explicat. quæst. 258; a num. 1442.* Scobar *d. quæst. 8. § 3, num. 45* Barbosa *de Episcopo allegat. 51. num. 151.* Nicol. Garcia *de beneficijs 2. tom. 7, par. cap 2. num. 26* Alphons. Carrança *de legit. partus designat. cap. 4. num. 51.* ad quem se refert egregius noster Solorçanus *de iure Indiar. tom. 2, lib. 3. c. 19. n. 44.* vbi eum appelat insignem I. C. quem ipse agnoui in nostra Curia Matritensi causarum patroni munus mirificè, ac dissertissime obeuntem, & generaliter loquendo probat exactissime Ceuallos *d. quæst.* 900. *a d. num.* 110. *cum pluribus seqq.* & perconsequens puritas præsumptiua non prodest expositis. Et nouissimè eádé opinioné substinet Thom. Hurtado 2. *tom. resolut. Moral. tract. 8. cap. 6. resolut. 51 num.* 546. *fol.* 108. cuius traditio magni habenda est, nam 1. *tom. tract. 3. cap. 3. resolut. 21. num. 109. fol. 110.* meminit cuiusdam Bullæ, de qua mentionem faciemus *num. 11. cum seqq.* & ea non ostbante *d. num.* 546. in terminis statuti expositos excludit.

[margin: & Torreblanca Spiritali lib. 13. cap. 2. ... ad num. prepon. diserte loquitur.]

[margin: & magis nouissime Pat. Quintana Dueñas in opere posthumo theologie moralis. tracta. 16. singulari. 9. & 10. folio 485. ... erudite & copiose.]

N. 5. Tertio respondeo *deciss.* 498. apud Lúdouis. & *deciss.* 68. apud Coccinum à P. Diana adductas minimè ipsius intentum

proba

probare nam in eis non inuenitur vnum verbum loqués de expositis: solum enim tradunt generaliter pręsumptionem iuris militare pro puritate, vt dixi *num.* 3. Et talem præsumpionem liberare ab onere probandi puritatem, quod aliæ multæ Rotæ decisiones confirmāt, quas laudat Beltramin. Ludouis. Apostilator *d. deciss.* 498. *litt. A.* & inueniuntur apud Farinac. *1. tom. in nouissimis deciss.* 182. *& deciss.* 185. *& deciss.* 167. *& deciss.* 494. Loterium *de re beneficiaria, lib. 2. quæst.* 43. *an.* 41. & Paul. Duran. *deciss.* 316 vbi multæ referuntur, & est aurea *deciss. Rotæ* 176. *tom. 2. recentiorum.* Et hæ decisiones, expositis non opitulantur ex eo, quod concludant non esse necessarium puritatem probare, cum militat eius præsumptio, quia recipiunt tres singulares intellectus.

N. 6. Primus est, vt non procedant, quoties statutum definit, ac præcipit, vt prouissus teneatur suam puritatem, & qualitatem probare, & iustificare, tunc enim non tam videtur inniti prouisioni de se factæ, quam statuto ipsi, ideoque vrgetur ad eius implementum, nec potest iuuari præsumptione puritatis: nam hæc non sufficit vbi lex positiuê probationem requirit, & quamuis iuris præsumptio pro liquidissima probatione habeatur, id tamen dicitur impropriê largo, & abusiuo modo, de qua impropria probatione non potest intelligi statutum exigens simpliciter probationem puritatis. Ita eleganter docet Loterius *vbi sup. d. quæst.* 43. *a num.* 59. *cum seqq.* vbi citat *deciss. Rotæ* 167. *sub num.* 32. *& sub num.* 38. *in recentioribus.* & Seraphin. *decis.* 355. *sub num.* 3. *vers. sed & statutum*, quæ decissio etiam reperitur *deciss.* 176. *in recentioribus.* Et omnes aperte probant hunc intellectum, & eum clarissime insinuat Barbosa *de Episcopali munere tit.* 2. *glos.* 17. *a num.* 44. vbi puritatis præsumptionem dicit sufficere absque alia probatione, quādo prouisus petit possessionis immissionem, non vt descendens ex antiquis Christianis, sed vigore suæ prouisionis: ergo si petierit vigore statuti, prout petitur quando istud obligationem probandi puritatem iniungit bene sequitur secundùm mentem Barbosæ, quod præsumptio puritatis non erit sufficiens; eundem intellectum expræsè probat Rota apud Franc. Peña *deciss.* 921. *per totam*, *& deciss.* 930. *per totam, tom.* 2. Quod autem statutum Cordubensis Ecclesiæ expressissimis, & amplissimis verbis onus imponat prouisso suam puritatē iustificandi, & verificandi nullam dubitationem recipit cum in eo euidentissime ita expressum, & diffinitum sit.

Num. 7. Secundus intellectus est, vt prædictæ Rotæ decissiones puritatem sanguinis præsumentes, non arctent prouisum ad eius probationē, quia prædicta pręsumptione contentę sunt,

sed

ſed non vt excludant Capitulum Eccleſiæ quatenus informationem capiat de qualitate prouiſsi ad effectum eum admittendi, vel repelendi, ſi purum, vel impurum inuenerit: ita rectiſsime Loterius *d.quæſt.43.num.68.cum ſeqq.* vbi dicit Rotam in hunc ſenſum interpretatam fuiſſe ſtatutum noſtræ Cordubenſis Eccleſiæ circa quandam dimidiam portionem, eumque aſsignat Barboſ. *d.gloſ 17.a num.44.* & Rota apud Peñam *d.deciſſ.921.& deciſſ.930.tom.2* at per prædictũ ſtatutũ expreſè diſponitur, quod renuente prouiſo ſuæ puritatis informationem preſtare, Capitulum ex officio eum aſſumat petendo nomina parentum, & auorum, & loca originis, ergo in quocumque euentu, ſiue prouiſſus ſponte onus probandi in ſe aſſumat, ſiue non ſemper Capitulum informationem puritatis facere debet, & per conſequens puritatis præſumptio minimè ſufficit.

N.8. Tertius intellectus eſt, vt prædictæ Rotales deciſsiones non militent, quando ſtatutum petit, vt prouiſſus oſtendat patres, & auos certos, & determinatos, & loca ſuæ originis ad efficiendam ſuę puritatis probationem, nam tunc per ſimilem diſpoſitionem præſcribitur certa forma probandi: at quando per ſtatutum aſsignatur forma ad probandum, requiritur plena probatio, & nõ ſufficit præſumptiua, quæ deſcẽdit ex iuris præſumptione. Decius *conſ.626.num.4.& conſ.661.eod.num.2.tom.2.* Tiraq. *de retract.§.8.gloſſ.7:a num.1.* Cardin. Seraphin. *deciſſ.162.n.6.* qui loquitur in quodam Canonicatu in terminis ſtatuti petentis nobilitatem, Aug. Barboſa *voto 125.num.8.cum ſeqq.lib.3.tom.2*, vbi loquitur in terminis ſtatuti Eccleſiæ Toletanæ, & multis iuribus adductis oſtendit non ſufficere præſumptionem puritatis ſanguinis; cum ſtatutum preſcriuit formam ad eius probationem. Et cum ſtatutum Cordubenſis Eccleſiæ prædictam formam explicitis, & expreſsis verbis præſcriptam habeat ſequitur, quòd expoſiti admitti non poſsint, cum patres, & auos certos oſtendere non valeant. Vt bene explicant Scobar *d.quæſt.8.§.3.num.28.* Lara *d.cap.4.num.21.* ibi. *Secus ſi adijciatur illa qualitas quod ſit ex notis parentibus, & puri ſanguinis, quia tunc non poteſt admitti cum nequeant probare qualitatem per ſupra dicta*, &c. & eademmet verba repetit Gratian *cap.267.num.26.* & vno verbo notauit Loterius *d.quæſt.43.n.71.* & cum Lara, Gratiano, Scobar, Nicolao Garcia, Auguſt. Barboſa, Sanctarelo, & Arriaga docet nouiſsime Ioann. Angelus Boſius *1.tom.reſolut.moral.par.2,tit.1.§,43.n 1577.fol.375.col.1.* Peraez Mieres *de maiorat.1.tom.quæſt.51.num.40.* Ex quibus deciſsiones Rotæ in ſuo vero ſenſu explicatę manent, & tantum abeſt, vt eis noſtrum Capitulum contradicat petendo memoriale parentũ,

eand. responde Quintana Dueñas 5. nº. 3. et 4.

auorum prætendentis expositi, quin ex aduerso earum mentem verba, & rectam interpretationem obseruet cupiens informationem conficere iuxta prędictum memoriale sibi tradendum.

N.9. Numero 4 Pater Diana intendit probare expositos reputandos esse defecati, & puri sanguinis adducens Enriquez Auilam, Cornejo, & alios Theologos, & ex iurisperitis Episcopũ & Præsidem Valençuelam, sed meo videri patres hi punctum difficultatis non attingunt; nam dubitatio non versatur vtrum expositi puri sanguinis præsumãtur sed an hæc præsumptio sufficiat in terminis statuti puritatem sanguinis verbis expressis exigentis, & maximê si amplius procedat petendo patres, & auos notos, & determinatos. De hoc enim in quo consistit cardo totius nostræ disputationis Auila, & cęteri allegati, præter Enriquez, nec vnum verbum loquuntur, vt ex eorum seriê manifestè liquet, etsi tale quid assererent receptissimis iurisperitorum traditionibus, de quibus sermo iam habitus est aperto marte contradicerent.

N.10. Numero 5. & 6. perpendit duas rationes: prima est, quod nemo præsumi debet infecti sanguinis: secunda quod expositi habentur pro legitimis, & à fortiori reputandos esse tanquam puros, sed in his P. Diana, tempus inutiliter absumit (quod tanti viri pace dictũ velim) nam quoad primam rationem efficacissime diluitur ex supra traditis, & statutum Cordubensis Ecclesiæ non satiatur præsumptionibus puritatis, sed euidentissimis eius probationibus, & luce meridiana clarioribus, sicut omnes Præbendati, vsque adhuc præstiterunt. Itaut in eorum munditia, & sanguinis claritate, nec minimus infectionis præsumptionis atomus repertus fuerit. Secunda verò ratio est extra propositam quæstionem, non enim agimus vtrum expositi iudicentur legitimi, naturales, vel spurij. Hæc enim est tritissima, & vulgatissima disputatio, sed vtrum sint puri sanguinis tali puritate, vt satisfacere possint statuto eam dissertissime petenti: & ita parum interest, quod Præbendã desiderans legitimus sit, vel illegitimus, etiam ex damnato, & punibili coitu descendens, nam hunc dummodo puri sanguinis sit statutum Cordubẽse non excludit. Vt cum iudicio ponderat Scobar *d. q. 8 §. 3. num. 51.* citans Bald. Abb. & alios. Quare non potest vis constitui in legitimitate expositorum, videmus enim quotidie quamplurimos ex legitimis nuptijs procreatos, infectionis tabe confectos: ergo non bene sequitur iste est legitimus, igitur est puri sanguinis, nam non probat hoc esse quod ab hoc contingat abesse, *l. neque natales cum vulgatis, C. de probationibus.*

Nu.

N. 11. Numero 7. P. Diana suam sententiam confirmat dicens, quod Gregor. XIV. in quadam Bulla, pro confraternitate expositorum Sancti Spiritus in Saxia anno 1591. decreuit expositos esse reputandos tanquam legitimos, & puri sanguinis ad omnes præbendas obtinendas, & affert aliquos DD. huius Bullæ mentionem facientes, & docentes esse nouam constitutionem declaratiuam iuris; sed hoc fundamentum omni robore, & firmitate destitutum est. Primò, quia nullus DD. hanc Bullam perspexit, nec certum est editam fuisse a Gregorio XIV. iste namq; Pontifex post coronationem suam, celebratam sexto idus Decẽbris anno 1590. vixit decem menses, & dies totidem, & inter Bullas ab eo latas, hæc, de qua agimus, non inuenitur, vt constat ex nouissimo Bullario a Laertio Cherubino collecto *fol. mihi* 525. *cum seqq.* si enim prædictam constitutionem Gregorius XIV. fecisset, vtique ipsius Bullis admixta esset.

N. 12. Secundo, quia in vrbe Romana prædictum Archihospitale Sancti Spiritus in Saxia fundauit, & instituit Inocentius III. & reliqui successores, præcipuè Sixtus IV. valde auxerunt, & multis opibus ditarunt, plurimasque gratias, & priuilegia concesserunt; statuentes vt in eo languentes, vulnerati, & infirmi curarentur, infantes expositi alerentur, & puellæ nubiles matrimonio collocarentur: quod postmodum Gregorius XIII. conseruauit, & honorificauit, alias prærogatiuas addendo per quamdam Bullam latam anno 1577. quæ incipit *Si inter præcipuas*, vt constat *ex d. nouiss. Bullar. fol. mihi* 310. *col.* 2. & in toto eius corpore non inuenitur vnum verbum, quod expositos habiles reddat ad præbẽdas obtinendas, & quod ad eorum legitimitatem, & puritatem pertineat: & ita Flauius Cherubinus dicti Laertij Cherubini filius *in Compend. Bullar.* dum scholiatet prædictam Bullam Greg. XIII. *fol. mihi* 164. *schol.* 1. quærit vtrum hospitali eiusmodi expositi censeantur legitimi, vel non? Et postquam retulit *decis. Rotæ* 1081 *num.* 3. apud Seraphinum, probantem expositionem valde repugnare legitimę filiationi, concludit cum Paleoto, & alijs reputari legitimos: illam vero quæstionem, vtrum possint obtinere prębendas, & maxime sanguinis puritatem requirentes, omisit: & credendum est, quod si Gregorius XIV. vel XIII. Bullam super hoc edidissent, oculatissimos hos viros non latuisset. Quare Pat. Enriquez, qui fuit huius nouitatis primus inuentor, & reliquos, qui eum adducunt, deceptos fuisse existimo, quousque prædicta Bulla legitimo, & authentico documento conscripta, mihi ostensa fuerit.

N. 13. Tertio, quia concesso, sine veri præiuditio, quod prædicta

dicta Bulla certa esset, adhuc tamen negotium expositorum nō facesseret, quia solum probaret, eos habiles esse ad omnes præbē das obtinendas, siue maiores, siue minores in quibuscumque Ec clesijs, non autem ex eo sequeretur, quod admitendi essent in Ec clesijs habentibus statutum puritatis sanguinis: hæ namque res longe inter se diferunt: nam vnum est capacitate potiri ad om- nia beneficia asequenda, ablato illegitimitatis vitio, quod secun- dum receptissimam DD. opinionē expositos afficit, aliud quod admitantur ad Ecclesias, collegia, vel confraternitates ex pecu- liaribus statutis sanguinis puritatem exposcentes, ex diuersis au- tem non fit illatio, *l. Papian. exuli, ff. de minorib. l. inter stipulantem. §. sacram, ff. de verbor.*

N.14. Quarto, quia retenta suppōsitione, quod Bulla, de qua agimus, vera sit, dicendum est procul dubio, peculiarem, & spe- cialem constitutionem fuisse pro expositis illius Archihospita- lis, vt tradunt Nicolaus Garcia, Scobar, & Carrança *in locis adduc tis num.4.* & satis colligitur ex eisdemmet authoribus a P. Diana laudatis, & quamuis ipse credat, quod summus Pontifex tam am plam gratiam nulli particulari cōfraternitati concessisset, quam credulitatem desumpsit a Ioanne Angelo Bossio *d. tom. 1. § 43. num. 1569. in med.* quem adduximus *num.* 8. Nihilominus nulla ra- tio excogitari potest, cur Summus Pontifex non præbuisset illā specialem immunitatem expositis prædicti Archihospitalis, nā si potestatem conspicimus, ad instar sacrilegij est de ea dubitare, si voluntatem attendimus, cur non intelligemus supremum Ec clesiæ Antistitem voluisse altioribus prærogatiuis, & superiori- bus adiumentis condecorare expositos illius Archihospitalis, ab Inocencio III. erecti, & alijs Summis Pontificibus peraucti, & il- lustrati, vt diximus *num. 11. & 12.* Nullus est enim, qui opus manuū suarum extollere non curet, & sua principia facere augustiora, teste Tito Liuio *in initio sui operis.* Quare tertium fundamentum destructum manet, ac per consequens omnes DD. huius Bullæ mentionem facientes ad rem non faciunt.

N.15. Numero 8. Pat. Diana aliud fundamentum ponit, di- cens huiusmodi statuta vulnerare ius commune, & esse ei contra ria *per txm. in c. eam te. de rescript.* & ideo strictissime esse interpre- tanda, itaque cum non reperiatur in expositis macula impurita- tis, admitendos esse. Sed hæc ratio omni firmitate caret, nam sta- tuta excludentia descendentes ab infectis non sunt odiosa, sed fauorabilia, vt facete differit Scobar *q. 3. §. 2. & 3. per tot.* vbi om- nem materiam eleganter explicat, & sequitur August. Barbosa *d. voto 125. a num. 3.* & reputantur sancta, iusta, & rationabilia, & Eccle-

Quintana Duen(as) ut v. Singulari

Ecclesiarum venustati, & splendori, non solum vtilia, sed necessaria, vt nouissime multis adductis tradunt Solorçano *de iure Indiar. tom. 2. lib. 3. q. 19. num* 4. Ferdinandus de Orellana Piçarro Supremi Consilij meritissimus Senator *cap. 5. obseruat.* 3. Francisc. de Salcedo *de lege politica lib. 1. cap. 5. per totum*, Barbosa *vbi supra an.* 1. quam ob rem a nostris Regibus confirmata sunt per *l.* 22. 35. *&* 36 *tit. 7. lib. 1. Compilat.* & a Sũmis Pontificibus, & nouissime a domino nostro Vrbano VIII. per Bullam, quam expediuit Romæ die 5. Iulij anno 1624. Et illa ratio quod in expositis non reperitur macula impuritatis, inconciona est, nam militat quoad præsumptionem, quæ non sufficit in terminis statuti, in quibus requiritur plena, legitima, & concludens probatio puritatis, vt supperioribus numeris ad saturitatem ostendimus.

N. 16. Et ni fallor existimo, quoad consequenda benefitia, peiorem esse cõditionem expositorum, quam descendentium a Iudæis, & alijs infectis, nam isti de iure communi non excluduntur a beneficijs, quinimo admituntur per *txm expressum in d. cap. eam te.* per quem ita docent Otalora *de nobilit. 2. p. 3. principalis. cap. 7. num. 3. fol. mihi* 184. Cobarrubias *in Clement. si furiosus, 1. p. relect. §. 2. num. 8. vers. 6. concl. fol.* 913. Emanuel Rodrig. *in moralibus, 1. tom. cap.* 159 *num.* 1 *fol.* 280. Sanchez, alios adducens, *de preceptis to 1. lib. 2. cap. 28. num. 11. fol.* 245. illi vero nõ habent de iure communi Pontificio, Cesareo, & Regio textum probantem, quod admitantur ad beneficia, neque vllam specialem gratiam, aut concessionem, nam Bulla Gregorij XIV. ab aliquibus autoribus adducta, a nemine vissa, neque lecta est, vt diximus *num. 11. & 12.* Si igitur descendentes a Iudęis, & conuersis aditum non obtinent ad nanciscendas præbendas in Ecclesijs, vbi adest puritatis statutũ a Romano Pontifice confirmatum, nam per talem confirmationem corrigitur dispositio *d. cap. eam te*, vt dicemus *num.* 32. multo fortius expositi exclusi remanebunt ex mente, & verbis dicti statuti, cum eius formam probatoriam implere nequeant, ostendendo patres, & auos certos, & eorum puritatem.

N. 17. Numero 9. Pater Diana asserit suam sententiam essé satis probabilem, & intendit illam docere Angelum Bossium *in loco per me adducto num.* 8. verba ipsius in suum fauorem retorqués, sed re vera sunt contra expositos, ita vt nullam interpretationé patiantur, nam cum *num.* 1577 in principio dixisset Enriquez, Auilam, & Bresserum asserere expositos censeri de fœcati sanguinis, & legitimos quoad omnes pręebendas, & collegia, non obstãte statuto, quod non admitantur, nisi christiani antiqui, & id decerni in Bulla Gregorij XIV. per Enriquez allegata; statim sequentia

quentia verba subnectit: *Quamquam contrarium, & vbi statutum requireret qualitatem, quod admitendus sit ex notis parentibus, aut puri sanguinis, vel probabilibus, prout in offitijs Sanctæ Inquisitionis, & in aliquibus Ecclesijs, & Collegijs, & confraternitatibus requiritur. vt notat Barbosa d. allegat. 51. num. 151. tunc expositos non esse capaces, neque debere admiti, quasi non posit per eos probari talis qualitas, illamve haberi e præsumi non posit, tradidit Perez de Lara de anniuersarijs, & capp. lib. 2. cap. 4. a num. 37. vsque ad 42. quem referunt, & sequuntur Garcias d. cap. 2. num 26. Stephan. Gratianus d. cap. 267. num. 26. & Augustin. Barbosa d. allegat. 51. eodem num. 151. & collectan. ad d. tit. de infantibus expositis, allegato vers. veriū DD. circa fin. Sanctarelus d. q 44. vers. 3. in fine. Scobar d. §. 3. num. 45. & etiam Arriaga lib. 2. tom. 1. disp. 26. nu. 20. indicat.* hactenus Bossius, ex cuius verbis manifestissime patet, referre opiniones, quæ super quæstionem scriptæ sunt, & eam quæ expositis contradicit, postremo loco laudare, multos, & magni nominis DD. adducendo, & ita ei videtur adhærere, nam cum Doctor plures opiniones refert, nec apparet, quam eligit, in dubio videtur vltimam aprobare, *glos. in l. qui filium, §. Sabinus, ff. ad Treb.* & cum Bart. Angelo, Baldo, Felino, Abb. & communi DD. schola tenent Auiles *in Cap. Prætorum. c. 1. num. 19. fol. 32. col. 4. in fin.* Palacios Rubios *in c. per vestras, in proœm. §. 14. num. 1.* Burgos de Paz *in proœm. ll. Tauri, nu. 162. & num 219.* Paz *in praxi annotat. 5. de Aduocato num. 27.* Menochius *consl. 37. num 72. vol. 1.*

N. 18 Numero 10. aduersus seipsum proponit argumentum Pat. Diana cum Ricciullio *de Neophitis, cap. 2. nu. 8.* dicens omnia ab eo fundata, procedere, quando statutum non requirit sufficientem informationem de puritate sanguinis, sed statutum, de quo est quæstio, imponit prouisso necessitatem probandi puritatem, ergo. Respondet ipse, quod quando quis legitime probat se esse expositum, adducit tunc sufficientem probationem de puritate sanguinis, nam eo ipso, quod probat se expositum, probat sufficienter suam puritatem ex præsumptione iuris. Sed hæc responsio manifeste vincitur ex supra adductis; nam præsumptio iuris, vt sæpe sæpius dictum, & fundatum manet, cum indiuidualibus Doctorum traditionibus, non facit in terminis statuti sufficientem, nec plenam probationem puritatis, & ita illa præsumptiua probatio non releuat.

N. 19. Insistit iterum Num. 11. asserendo præsumptionem iuris etiam in statutis conficere verā, & plenā probationē, & adducit aliquas doctrinas. Sed respondetur esse generales cuilibet materię præsumptiuæ deseruientes, quę nostrā quæstionem in indiuiduo non attingunt, in qua *Num. 4 & 8.* varias authori-

tates

tates adduximus specificè probantes nō prodesse expositis præsumptionem puritatis, cum statutum alicuius Ecclesiæ, vel confraternitatis eam requirit, & his traditionibus peculiaribus standum est, non vero iuribus generalibus, quibus Antoninus Diana innititur; si enim eis decens fuisset pugnare, afferre possemus quamplurima probantia, quod quando a lege, vel statuto probatio requiritur, debet esse non præsumptiua, sed legitima, & plena, vt nouissimè resoluit Pareja *de instrum. edit. tom. 2. tit. 9. resol. 4. num.* 19. etiamsi aliqua qualitas iuris, vel facti negatiua probanda sit, *Deciss. Genuensis* 3. *num.* 1. *& deciss.* 5. *num.* 10. *& deciss.* 101. *num.* 4. *& deciss.* 173. *num.* 7. Giurba *deciss.* 37. *num.* 5. Fontanela *de pactis nuptial. claus.* 5 *glos.* 1. *p.* 2. *num.* 28. imputet enim sibi ille, qui in negatiua voluit se fundare. Mascardus *de probat. concl.* 1087. *num.* 4. Mantica *de coniect. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 5.

N. 20. Pergit iterum eodē num. 11. asserens, quod cū expositi omni alia probatione destituti sint, dicendū est, sufficere pro illis probationē præsumptiuā iuris, quia statutū nō potest præcipere irrationabile, & impossibile. Sed respōdetur fatendo statutum quid impossibile continens, non esse obseruandum, etiā si sit iuramento valatum, *C.* 1. *de iureiurando.* vbi Nicolaus Papa III. ita decreuit, & tradit Ioannes Lanchecrussius *in specul. Canonicor.* 1. *tom. lib.* 2. *cap.* 15 *fol.* 85. quod postea renouauit Gregorius XIII. per Bullam incipientem *Inter Apostolicas*, latam die 14. Septembris anno 1584. quæ continetur in *Bullario nouiss. fol.* 1354. & eam quoq; ad litterā refert Quaranta *in sum. verb. iuramentum, fol.* 389. sed in casu nostro statutum præcipiens, vt prouissus memoriale suæ prosapiæ tradat ostendendo patres, & auos certos, & loca suæ originis ad recipiendam informationem suæ puritatis, non continet aliquod vestigium impossibilitatis, & irrationabilitatis, quin potius iubet rem omni iuri, rationi, & practicæ omnium Tribunalium valde consentaneam. Et si hoc in expositis impossibile iudicatur, id non proueuit ex parte statuti, sed ex parte ipsorum; qui superbia, & elatione imbuti, præsumunt se qualificatos, & consequi cônantur, quod ad eos non pertinet, sed tantum illis, qui ex notis, & puris parentibus, & auis generati persistunt, quia ab omni sensu abhorreret, vt propter casum specialem vnius, vel alterius expositi, recederetur a dispositione sancta, & iusta statutorum puritatem sanguinis requirentium: impossibilitas autem, vt vitiet legem, aut statutum, debet esse respectu totius communitatis, non vero respectu particularis personæ, vel in casu particulari, quia lex non respicit singulares personas simpliciter, sed totam communitatem, Bonacina ita bene

docens

docens in *Summa tom.2.disp.1.quæst.1.punct.vlt.preposit.1.num.1.vers. dixi respectu totius communitatis, fol.68.* debent enim expositi arcere, & cohibere se a suis desiderijs, nam culpa non caret ille, qui immiscet se rei ad eum non pertinenti, *l.si iudex, ff. de varijs, & ex traordin.cognit.C.non est sine culpa, de reg.iuris in 6.* & possumus eis dicere illud Iure Consulti *in l si mulier 21. ff. quod metus causa*, ibi. *Cessat edictum, quia hunc sibi metum ipsa infert*, & illud Iure Consulti *in l.si fideiussor. §.si necessaria, ff. qui satisdare locantur.* ibi: *Neque enim meretur, qui ipse sibi necessitatem satisdationis imposuit.*

N.21. Eiusdem farinæ est, quod ipsemet Pat. Diana d. num. 11. asserit, quod quando veritas aliter haberi non potest, recurrẽdum est ad præsumptiones, quę tunc inducunt plenam, & verã probationem, citans pro se Ioan. Bapt. Larrea *allegat. fisc. 65. tom. 1.* Sed respondetur hoc verum esse, & communiter DD. ita tenere, vt patet ex Caualcano *decis.29.tom.5.* Duardo *de censib. tom.2. §. 5. q.34. num. 64. fol.71.* sed hæc militant in speciebus, & casibus ab his Doctoribus ponderatis, & data impossibilitate, sed in nostra contingentia non datur, nec statuta puritatem sanguinis requirentia, per designationem parentum, & auorum sunt impossibilia, quinimo possibilia, & frequentissima, & in confutationẽ considerationis Dianæ vrgent, quæ num. superiori nuper diximus.

N.22. Insuper eodẽ num. addit, quod impotentia in expositis designandi parentes, & auos non prouenit ex eorum dolo, vel desidia Sed respondeo, quod ad vim exclusionis, & iustificationem ipsius non habetur respectus ad malitiam, vel negligentiam, sed ad continentiam statuti pręcipientis talem designationem, & ideo, qui in Cordubensi Ecclesia cooptari desiderat, debet se subijcere statutis illius, & cum eis se conformare: at statuta difiniunt, quod prouissus teneatur parentes, & auos notos demonstrare: ergo debet eis obtemperare, & obedire, & cum expositi talem designationem facere non possint, planum est, quod statutis non obtemperant, & ideo optimo iure Ecclesia eos excludit, vel vt melius dicamus, ipsi semet excludunt, conantes quod implere nequeunt, vt diximus *num.20.*

N.23. Nec obsistit, quod amplius eodem num. tradit, interrogatoria, & memoriale, in quibus continentur nomina parentum, & auorum, fieri in ordine ad melius interrogandum, & probandum puritatem eorum, & cum expositi per iuris præsumptionem suam qualitatem verificatã habeant, non est inconueniens vt parentes, & auos non designent, quia dum finis sequitur, non est curandum de medijs. Sed respõdetur negando suppositum, quod

quod expositi satisfaciant statuto puritatis solum per præsumptionem nam contrarium euidétissimè fundatum est. Deinde prædicta interrogatoria non conficiuntur ad melius interrogandum, sed sunt substantialiter necessaria ad informationẽ habendam, & inducunt formam præcissam, & incommutabilem, & sine eis apta, nec sufficiens informatio de puritate haberi nõ potest, & ideo practicantur in Tribunalibus Sanctæ Inquisitionis Regio Consilio ordinum, Collegijs, & Ecclesijs, & eorum praxis vsitatissima est, vt ita sequatur finis principalis, quem statuta intendunt, & perconsequens forma illa debet ad vnguẽ obseruari. Latè Castillo, Sotomayor *de vsufructu cap. 54. a num. 31.* & illud Brochardum, quod nõ curatur de modo, cum consequitur effectus, secũdũ *txm in c. euidẽtia de accusat.* Matta *de iurisdict. par. 3. cap. 3. nu. 31.* procedit quando non est præscripta certa forma, nam tria sunt in omnibus actibus necessaria voluntas, potestas, & solemnitas. Vno autem deficiente corruit actus, Castillo *lib. 2 controuers. cap. 26, num. 4.* Ceuallos *in 4. quæst. 897. num. 499.* Cardinal. Thuscus *litt. S. concl. 319. & concl. 330.*

N.24. Postremo dictum Numer. 11. absoluit P. Diana, dicens, sibi assertum fuisse prædicta interrogatoria, non contineri in statuto, de quo est quæstio confirmato à Papa. Responsionem huius assertionis omitto, quia de ea sermo habendus est *num. 32. cum sequentibus.*

N.25. Numero 12. conatur satisfacere fundamẽtis Scobar, & refert multos DD ad probandum, quod expositi censentur legitimi ad ordines, & beneficia, sed in hoc moram facere est extra Chorum psaltare, nam vt diximus *Num. 10. & 11.* Nos non quærimus an expositi legitimi iudicentur, & apti ad beneficia? sed vtrum sint puri sanguinis tali puritate vt satisfacere possint statuto eam clarè, & expressè petenti. Cum quibus finitur respõsum Patris Dianæ.

N.26. Eruditissimus autem Mauritius Girbaldus, vt in principio huius lucubrationis dixi, aliud responsum dedit pro expositis in hac nostra consultatione, & in positione casus tradit duo esse statuta, primum a Sede Apostolica confirmatum, disponẽs, quod nullus ex Iudæorum, seu conuersorum genere descendẽs ad aliquod beneficium admitatur, & quoties prouisso tradetur possesio, is se ex Iudæorum, seu conuersorum genere non esse, iuramentum præstare, & de eo sufficientem informationem dare teneatur, & si id non fecerit, quod Capitulum, & Canonici illam accipiant, et si per eam de contrario constiterit, talis prouissus admiti non debeat, & si iam fuisset admissus, pro priuato

D habea-

habeatur,& fructus restituat.

Secundum statutum, dicit, alio diuerso tempore emanasse, non tamen a Sede Apostolica confirmatum, decernens, quod post præstationem iuramenti, prouissus dare teneatur memoriale continens locum originis, nomina parentum, & auorum ad hoc,vt dicta informatio capi posit.

Et sub hac facti specie quærit an probato per dictum prouissum fuisse expositum,atque ita parentes, & auos indicare non posse,fuisseque vti filium Sanctę Matris Ecclesiæ educatum, & ita ab omnibus reputatum, satisfactum dici posit supra dicto statuto;itaut ei possessio tradi debeat,an potius sit excludẽdus.

Sed antea quam ad vlteriora progrediar, assero relationem factam Mauricio Girbaldo,circa diuersitatem statutorum com mentitiam,& sinistram fuisse;nam in nostra EcclesiaCordubensi custoditus est liber statutorum ipsius,& in integro eius volumine non reperitur circa puritatem sanguinis,qua debent perfrui Præbendati, nisi vnum statutum confirmatum à Summis Pontificibus Paulo III.& Paulo IV. quod est in duas partes distinctum. In prima ita loquitur, statuimus, & ordinamus,vt in posterum cum danda fuerit possessio alicuius Dignitatis,Canonicatus,Portionis integræ,vel dimidiæ,Capellaniæ, aut Sacristiæ huius Ecclesiæ: eã petens ante omnia obnoxius sit iuramentũ præstare se nõ esse talis generationis [videlicet conuersorũ, & Iudæorum,de qua in verbis antecedentibus actum est] & ad dandam sufficientem informationem huius rei,& præter illud illæ personę ad quas pertinuerit datio talis possessionis informationem conficiant, si petens talis generationis existit. Et si prætensor iuramento prętito informationem non dederit,aut si per datam Capitulo constiterit,supradictum à tali genere descendere non admitatur ad possessionem, &c. Et prosequitur vsque ad clausulam factum Cordubę 3.die Mensis Augusti, Anno 1530. Ioannes Episcopus Cordub. Franciscus Archidiacon. Cordub.&c. Et illico,sine interpolatione, & commixtione alterius materiæ,& sine verbis,ordinamus,& statuimus, neq; alijs continuatur idem statutũ per hæc verba.Cum aliqua persona cuiuscumque status,dignitatis,& conditionis præsentare in Capitulo voluerit, Bullas alicuius Dignitatis, Canonicatus,aut Portionis,&c.Et prosequitur eandem orationem supra enunciatam,& quod prouissus tradat Memoriale suæ geneologiæ,vt constet de sus patribus,& auis,& de loco suæ originis, & ponit interrogatoria per Capitula separata. Et prosequitur vsque ad finem,sine die,& subscriptionibus. Ex quo satis euidẽter agnoscitur

citur non esse nouum statutú, sed cõtinuationem illius à Sũmis Pontificibus confirmati. Quę omnia suponere decreui ad osten dendá incertitudiné relationis Domino consulenti porrectæ.

N. 27. His sic præhabitis Mauritius Num. 1. cum 3. seqq. ponit quatuor fundamenta contra expositos, quæ eadem sunt, quorũ in discursu huius tractationis per diuersos numeros mẽtionem fecimus. A numero 5. contrariam opinionem amplecti tur dicens: admittendos esse, & pro eis aliquas rationes conside rat, iura, & authoritates adducit, quæ omnia in effectu, & substá tia coincidunt cũ adductis à Patre Diana, & a nobis satis confutata sunt, quã ob rem de duobus punctis à nobis nunc agendum est. Primum erit circa Num. 9. in quo Mauritius ait distinguendum esse in hunc modũ, quod si statutum solum disponat, quod non admittantur ad beneficia descendentes ex Iudæis, vel Mauris, vel alia macula infecti, per hoc nõ excluduntur expositi, quia huiusmodi statuta tanquam contraria iuri canonico sunt restrin gẽda, & ideo cũ nõ reperiatur in expositis macula, ob quá excludantur, sunt admitendi: citat Laram, Gratianum, Girondam, & Ricciullium. Si vero statutum disponit, quod admitendi sint ex notis parentibus, aut puri sanguinis, cum hęc qualitas ab expositis probari nõ possit, sunt repellendi; afert Laram, & Gratianum vbi supra, & in similibus terminis distinguentem Valenzuelam *cons. 90. num. 46. & 47.* & cum versemur in terminis statuti negatiui sequitur expositos recipiendos esse: hæc Mauritius.

N. 28. Huius distinctionis ego memini *num. 2.* quam etiam substinent Loterius *d. q. 43. num. 36.* & Ioannes Bossius *loco per me allegato num. 8.* & vt dicam quid de veritate eius sentiam, vt promissi *d. num. 2 in fin.* assero, secundam partem distinctionis, quæ tenet expositos repellendos esse, cum statutum verbis affirmatiuis disponit, vt admitendus sit ex notis parẽtibus, & puri sanguinis: verissimam esse, & omnes Doctores ei adhærere, quos retuli *d. nu. 2. 4. & 8.* hi sunt Lara, Gratianus, Ricciullius, Sãctarelus, Gironda, Barbosa, Velascus, Valenzuela, Loterius, Nicolaus Garcia Scobar, Arriaga, Ioannes Angelus Bossius, Zeuallos, Carrança, Pelaez, Mieres, Solorçano, & Hurtado, & temerarium erit ab hac inconcussa ressolutione deuiare, & secundum eam habemus intẽtum, nam statutum nostrum verbis affirmatiuis præcipit, vt qui in nostra Ecclesia præbendam assequi voluerit, præstet memoriale suæ prosapiæ, Patres, & auos certos ostendendo, et loca suę originis, et probet puritatem ipsorũ, et insuper Capitulum aliam probationem cõficiat et verbis expressis ponit interrogatoria, ad quorum tenorem testęs examinandi sunt.

N.29. De veritate autem 1. partis distinctionis, quæ tenet, quod quando statutum per verba negatiua dicit non admittantur descendentes ex Iudæis, vel conuersis, recipiendos esse expositos, quia simile statutum tanquam contrarium Iuri communi odiosum est: semper dubitaui, & constanter teneo expositos repelendos esse in quocumque euentu, quamuis statutum verbis negatiuis vtatur, & ita iudicandum est cõtra Laram, qui fuit huius primæ partis distinctionis antesignanus. Quod probo naturali, & euidentissima ratione præcipere statutum, quod Præbendandi non descendant à Iudæis, & conuersis, est in effectu, & substantia præcipere, quod sint puri sanguinis, & Christiani veteres, & nullus alius sensus potest adhiberi. Ergo verba negatiua imbibunt, & includunt in se necessario, & inseparabiliter verba affirmatiua, & e cõtrario. Ita doctissime tenet Geronimus Zeuallos *in 4.d.quæst.900.nu.110.& latius à num.135.* adducẽs pro se infinita iura, et authoritates, & Laram Carpenl. idem tradit Scobar *d.q.8.§.3.à num.*46. qui ait cauendum esse à Lara *in prædicta distinct. & latius quæst.4.§.3.à num.*59. eidem opinioni adhæret Carrança *d.cap.4.num.*51. vbi laudibus extolit Ceuallos, & inquit rectè concludere cõtra Laram, & sibi displicere tradita per Gratianum. Nam siue statuti verba negatiue concipiantur, siue affirmatiue expositos non debere admitti, quia affirmatiua compræhendit sub se negatiuam, & è contra. Facete Thomas Carleualius *lib.1.disputat.iuris tit.2.disput.3.num.*38. Et sentẽtia horum eminentium virorum amplectenda est: nam eam multis iuribus, & rationibus stabiliunt. Lara verò nihil affert, quod efficaciter suam traditionem communiat, & qui eum sequuntur sunt tanquam aues, nam vnius volatus cæteras ad volãdum prouocat, & generaliter loquendo, cum negatiua habet in se implicitam affirmatiuam, qui negat, affirmat, & è contrario. Farinat. multis adductis 2.*tom.de testibus, quæst.65.à num.215.cum seqq.*

...tradunt Torre ...ca. n° 2.3.3. ...ntana Dueñas ... in locis s. citatis.

N.30. Quod vt magis elucescat, authoritate eiusdem met Laræ comprobabitur: ipse enim *d.cap.4.num.*77. parificat descẽdẽte à Iudęis, & non esse Christianum antiquum. Et postea *num.* 78. in hæc verba prorrumpit, *Sed si fortè hæc vera responsio non satisfacit; verius dic, quod inquisitus, dum tenetur probare se esse puri sanguinis, negat descendere à Iudæis, vel alijs infectis.* Ergo ex ore ipsius Laræ audiuimus, quod in illa affirmatione, sum Christianus veteranus continetur illa negatio non descendo à Iudæis, & ita distinctio eius non est sequenda.

N.31. Vlterius conuincitur ex eodemmet Lara *lib.2. cap.3. qui ex num.16.* tenet quod ad Capellaniam Sacerdotalem non est

necesse

necesse, quod presentandus sit actu Sacerdos, sed sufficere Sacerdotium in aptitudine. Numero autem 22. hanc suam resolutionem temperat, cum fundatio facta est verbis negatiuis, & tūc concludit præsentandum debere esse actualiter Sacerdotem. Numero 23. quærit de ratione diuersitatis, & qua de causa si institutor vtitur verbis affirmatiuis sufficiat Sacerdotis aptitudo, sin autem negatiuis requiratur actus: & dicit eam esse, quia negatiua est malignantis naturæ, & magis negat, quam affirmatiua affirmat; & *a num.24.* aliqua iura refert ad suæ doctrinę comprobationem, vt sunt aliquæ glossæ Decius, Tiraquelus, Nata, Signaolus, Decianus, & Alexander Raudensis, & hoc in iure indubitatum est; & omnes Doctores passim ita tradunt, vt pręter laudatos a Lara docent Sanchez *de Mattrim. lib.8.disp.27.nu.20. in med.* Guttierrez *lib.4.pract.q.8.num.6.* Salgado *de Reg.protect.2.p.cap.7. num.8. & de retent.Bullar.2.p.cap.33.num.12.* Tondutus *resol.ciuil. to.2.cap.18.num.7.* Fontanela *de pact.nupt.tom.1.claus.4.glos.15.num.80.* qui refert Laram, Griuelus *decis.* Dolana *22.num.73* Thom.del Bene *de immunit.Eccles.tom.2 cap.19.disp.11. num.3.* Osaschus *decis.100. num.44* Franciscus Marcus *decis.134.num.9.tom.2.* Interrogo nūc Laram si in eius sensu, & omnium Iuris peritorum negatiua dispositio magis ligat, quam affirmatiua, dicēdū est præcisè, quod statutum negatiuum requirens puritatem, non solum ligauit tantum quantum statutum affirmatiuum, sed etiam strictius, & fortius, & per necessarium consequens expositi in quocumque euentu excludi debent. Et sic remanet elucidatum distinctionē Laræ, & sequacium inter statutū affirmatiuum, vel negatiuum verbalem esse, & minimè iuri conuenire.

N.32. Numero 13. Idē Mauritius parum fidus, secundum quod coniectare possumus, de prædicta distinctione, animum suum conuertit ad aliud fundamentum, videlicèt secundum statutum disponens, quod prouissus debeat indicare parentes, & auos non esse à Sede Apostolica confirmatum, & ideo viribus non subsistere, quia contradicit Iuri Canonico, *per text. in d.cap. eam te, de rescript.* Et ideo Pontificiam confirmationem esse necessariam, citat Barbosam *de iure Ecclsiast.lib.1.cap.32.num.17. & 18.* additionem ad Buratum *decis.758.sub num.13.* Sed respondeo verum esse, quod multi DD. præter adductos à Domino consulente tradunt statuta requirentia puritatem sanguinis ad sui valorē Papali confirmatione indigere, vt sunt Scobar, *1 part.quæst. 3. §. 2.num.21.pag.27.* Loterus *d.quæst.43.num.10.* Solorçan. *de iure Ind. 2.tom.lib.3.d.cap.19.num.4.* Salced. *de leg.polit.lib.1.d.cap.5.num.8. & 24.* Lara *d.cap.4.num.2.* Sanchez *de Præcept, tom.1.lib.2.cap.28.n.14.*

idē Barbosa *d. voto 125. num. 32. tom. 2.* Sed hoc nobis non obsistit, quia statutum nostrum præcipiens designationem parentum, & auorum; quod nuncupat secundum Mauritius à Sede Apostolica confirmatum existit, vt claré decerpitur ex his, quę diximus *num. 26. vers. sed antea quam.*

N. 33. Et non oberit replicare, quod in confirmatione Pauli III. & Pauli IV. non continentur litteraliter interrogatoria, & obligatio ad tradendum memoriale parentum, & auorum, & reliqua, quæ in dicto Versic. diximus. Nam respondeo, non contineri litteraliter, contineri verò virtualiter. Ratio in promptu est: nam cum Capitulum statuit, vt non admitterentur descendentes ex conuersis. et Iudęis, et quod prouissus teneretur iurare, et probare se non descendere ex tali genere, absque assignatione, et præscriptione formæ, quę seruanda erat in confectione informationis, ex natura ipsius actus inest talis formæ præscriptio, & cum Ecclesiæ Antistites Supremi prædictum statutum confirmarunt, dicendum est per necessariam consequētiam confirmasse formam, qua opus est ad vsum, practicam, & exercitium talis statuti, *ex reg. l. 2. ff. de iurisdict. omnium iudicum, cap. præterea, de offic. delegati. l. penult. ff. de vsufruct. l. quidam cum testam. C. de necess. seruis hæredibus inst.* Et confirmatio continet omnia, quæ confirmato insunt, Thuscus *litt. C. concl. 706. in princip.* Et sic iura quæ dicunt cō firmationem trahi ad ea omnia, quæ in statuto, vel actu confirmato compręhenduntur: vt sunt *l. Aurelius, §. test. ff. de liberat. legata;* & alia multa adducta à Seraphino *deciss. 971. num. 7.* Ludou. *deciss. 267. & 511. num. 1.* Farinac. *deciss. 668. num. 4. tom. 1. in nouissimis, & deciss. 555. num. 3. tom. 2.* Solorçano *de iure Indiar. tom. 2. lib. 2. cap. 26. a num. 56.* Paul. Duran *deciss. 147. num. 9.* Præcisê sunt intelligenda, non solum de his, quæ litteraliter continentur in statuto confirmato, sed etiam de his, quæ in eo virtualiter includuntur, *l. à se toto, ff. de hæred. inst. l. si ita scripsero, ff. de condit. & demonstrat.* vbi probatur, quod illud, quod continetur virtualiter in instrumento, intelligitur esse in eo expræsè scriptum, Scobar *de Ratiocinijs cap. 33. num. 19. in fin.* alter Scobar *1. par. quæst. 4 §. 3. num. 58* loquens in statuto Surdus *cons. 201. num. 14. & cons. 215. num. 26. & cons. 143. nu. 20.* Cefalus *cons. 152. nu. 76.* Giurba *decis. 45, nu. 2. & 3,* Cassanate *cons. 60. num. 7.* Carleual. *disput. iuris tit. 3, disput. 5, num. 10.* Franc. Salernus *cons. 3, num. 136.* Eruditissime Amaya *in Apologia pro statuto Collegij Conchensis à num. 10.* quam possuit ad finem *commentarior. super lib. 10. Vol.* facit vulgatum dicterium, quod taciti, & expresси idem est iuditium *l. cum quid. ff. si certum petatur,* exornant Parlad. *lib. 2. quotid. cap. fin. 1. p. §. 11. ampliat. 4.* Ossaschus *decis. 129.* Thuscus *lit. I. concl.*

*l.concl.*240.*a num.*20. Ceuallos *quæst*249.*&* 519. ex quibus descendit continentiam memorialis, & interrogatoriorum in nostro statuto confirmato, non prouenire ex vi extensionis, sed ex vi comprehensionis, ex iuribus adductis a Molina *de primigen. lib.* 1. *cap.*5.*num.*11.*cum seq.* Menochio *cons.*187.*num.*90.*lib* 2. Castillo Sotomayor *lib.*5.*cap.*120.*a num.*18.*&* *cap.*181.*num.*7. Amaya *vbi supra num.*15.

N.34. Confirmantur hæc omnia efficaciter ex eo, quod in statutis puritatis non assignatur forma, qua puritas probãda sit, vt obseruant Scobar 2.*p.quæst.*9.§.1.*num.*1.*fol.*462. *col.*2. Salcedus *de leg.polit.lib.*1.*d.cap.*5.*nu* 24.*vers, nam dicendum est.* quare hæc forma probatoria relinquitur arbitrio illarum personarũ, ad quas res pertinet: cum ergo in statuto nostræ Ecclesiæ esset dispositum, quod non admiterentur ad ipsius præbendas oriundi ex conuersis, & Iudæis, & quod de hac puritate duplex caperetur probatio sufficiens, vna ex parte prouissi, altera ex parte Capituli, & statutum non assignasset litteraliter, neque specifice formã, iuxta quam informationes prædictæ conficerentur, & Summi Pontifices prædictum statutum prout iacet confirmassent, nam adhibita etiam forma probatoria, asserendum est, quod interrogatoria facta, quæ continent modum probandæ puritatis per indicationem parentum, & auorum, & demõstrationem locorum suæ originis, comprehenduntur virtualiter in confirmatione, & quod a Summis Præsulibus aprobata sunt, vel quod ipsi Ordinario, & Capitulo facultatem concesserunt ea condendi, tanquam præcisa formalia, & necessaria ad probationem puritatis, vel impuritatis vsum, & practicam ipsius statuti, secundum tradita ab Scobar *in instruct.* quam suo tractatui adiecit *fol.*485. & hic est vsitatissimus stilus, qui obseruatur in Collegijs, Ecclesijs, cõfraternitatibus, Tribunalibus Sanctæ Inquisitionis, & Regio Ordinum Consilio, & de vtilitate, & necessitate horum interrogatoriorum aliqua tradunt Farinat.2.*tom, de testib.quæst.*73.*per totam,* Paz *in praxi* 1.*p.tom.*1.*temp.*8. *a num.*60. *fol.* 64. ex quibus aperte liquet, quod illa interrogatoria, & articulos componere, & onus dandi memoriale genealogiæ indicere, non est de nouo statuere, sed formam probatoriam, quæ in statuto confirmato virtualiter latebat, indiuidualiter, & specifice explanare, *argum txs.in.l.adeo* 7.*§.septimo, ff.de acquirendo rer.dominio.* ibi: *Cum enim grana, quæ spicis continentur, perfectam habeant suam speciem, qui excussit spicas, non nouam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit.* Hinc oritur, quod ille qui declarat, nihil de nouo facit, & declaratio adeo dispositioni inhęret, quod censeatur cum ea eodem tempore emanasse, quia ei semper inest,

Amaia in ap.lofia ? Statut. Colegij Conchensis. n°. 77. [signature]

et in antilogia uers. Amaiam n. et 103. qui in ser tractatu de Utrog. [signature]

est, Suidus *decis.29.num.5*. Grat. 1 *tom.cap.147.â num.1*. Thusc *litt. D. concl.86.num 13*. Sesse *deciss.76.fere per totam* Salgado *de Reg. pro tect.4 par.cap.12.â num.25.& de retent. Bullar.2.part cap.2.num.18.*

Num.35. Huc concinit, quod cum Tabiena, Armilla, & alijs multis DD. docet P. Thomas Sanchez *de præcept.tom.2. lib. 6. cap.2.num.9. 36.& 45.* vbi tradit: quod maior pars Capituli vnius Religionis potest extendere, & edere noua statuta non contenta in regula antiqua, quando sunt necessaria pro temporis, & loci ocasione, vt melius regula obseruetur, quia ad eam indirectè pertinent hæc noua statuta, & sub ea implicitè compræhenduntur, quæ profectò elegás resolutio est ad nostrum intentum, & Iuris periti communiter docent statuta admittere interpretationem extensiuam per viam aditamenti: vt cum Oldraldo, Alexandr. & alijs multis Cardin. Thuscus *litt. A. concl.182.& concl.555.& litt S.concl.576.*

Num.36. Quæ omnia indubitabilius procedent, si animaduertimus, Episcopum cum Capitulo posse statuere, quæ ad Ecclesiæ statum, vtilitatem, & meliorem gubernationem pertinent, dummodo non sunt iuri Canonico contraria, *text.in cap. 2.§.cæterum*, & ibi *gloss.verb.statutum, de verb.signific.in 6.* Felinus *cap. cum omnes, vbi laté de const.* Farinat.*decis.398.num.1.& decis.375.num. 6.tom.2.in nouiss.& decis 606.num.1.tom 2.in posth.* Ludouis. *decis.66. num.11.* Franciscus Peña *decis.1129.num.10.tom.2.* Seraphinus *decis. 590.num.1.& decis.538.num.1.& decis.1447.num.2.& decis.497.& decis.707.num 4.Rota deciss.62.tom.2, in recentioribus*. Thusc us *litt. S concl.476.* Barbosa *de Episcopo allegat.93, num.30.vers.verum.* Et quis ambigere potest diffinitionem de indicando parentes, & auos pertinere, non tantum ad vberiorem, & meliorem obseruãtiam statuti puritatis sanguinis, sed etiam ad necessariam, & sine qua impossibile est, vt prędictum statutum rectè practicetur, & minime hoc Iuri Pontificio repugnare maximè cum non sit in eo, nec in Cæsareo, & Regio aliquis textus, qui expositos habiles reddat ad beneficia. Ex quibus luce meridiana clarius manet ostensum illam determinationem vt prouisi teneantur suos parentes, & auos designare per memoriale, & illa interrogatoria, quæ composita sunt ad informationes capiendas, non esse nouum statutum de per se, sine authoritate Apostolica confectum, sed continuationem primi confirmati, & explanationẽ formæ probatoriæ, quæ in eo implicite, & virtualiter continetur.

N.37. Quibus addendum existimo, quod si opus fuisset asserere posse Episcopum cum Ecclesia statuere excludendo descendentes à Iudæis, vel conuersis, & tale statutum iuramento confir-

confirmatũ viribus subsistere; non deficerent fundamenta: quia multum hanc partem adiuuat *decis. Rotæ* 21. apud Farinac. *tom. 2. in nouissimis*. vbi agitur de quodam statuto Ecclesiæ Collegiatæ Osunensis excludentis ab eius Præbendis pœnitenciatos, & suos descendentes. Et *Rota num. 1. in fine*, prædictum statutum improbabit, quia factum fuit sine interuentu, & authoritate Archiepiscopi Hispalensis, cui dicta Ecclesia subest? & expresê tenent Azor *lib. 6. instit. moral. cap. 4. quæst. 20.* & Vincent. Filiucius *de statu Clericor. tract. 41. de benefic. Ecclesiast. cap. 5 num. 6.* quos ad hoc, vsque adhuc à nemine perpensos conspexi. Filiutius namque *d. num. 6.* incipit agere de ortis, vel oriundis ex Iudæis, *& vers. notandum vero*, ita inquit. *Notandum vero si qua in Ecclesia esset statutum cõmuni Canonicorum suffragio confirmatum: iuramento item aliquando addito, & Prælati authoritate munitum, ne tales Clerici admittantur ad beneficia non est cur debeat improbari, cum in multis Religionibus idem statutum sit, & experientia compertum, tales homines non raro à Religione, & à fide deficere, fauere sectæ vnde orti sunt, litigiosos, & ambitiosos, & seditionum plerumque authores esse, ob que rationabile fuisse decretum quiuis facile recensere potest, &c.* sed in hac traditione non figo pedes propter ea, quæ adduxi *num. 32.*

N. fin. Tandem pro choronide aduertendum est, quod nusquam perspeximus, audiuimus, nec legimus in Ecclesijs Cathedralibus, Tribunalibus Sanctæ Inquisitionis, Collegijs, & Confraternitatibus, in quibus vigent statuta puritatis, & inuiolabiliter custodiuntur expositos fuisse admissos, neque eorum descẽdentes: & vt certior Cordubensis Ecclesia huius veritatis redderetur, epistolas misit ad Ecclesias Toletanam, Ouetensem, Legionensem, & Pacensem, vbi prædicta adsunt statuta pro eius cognitione, quę rescripserunt vnanimiter, nũquam expositos receptos fuisse: & in nostra Ecclesia notissimum est, quod cum quidã vir omni virtute præditus, & in Sacra Theologia prędicationisque munere pollens, in quadam Ecclesia ad Regium Patronatum pertinenti Canonicatum obtinuisset, non obstante quod expositus erat, ad Cordubam peruenit, vbi in oppositione Canonicatus Lectionis Sacræ Scripturæ tunc vacantis, omnes ad eam concurrentes superauit: & cum de ea prouissus esset, conscius nostri statuti, & quod tanquam expositus erat repellendus cum ab eo memoriale sui generis peteretur, ad conficiendam probationem puritatis, patres, & auos certos dessignauit, & habita sufficienti informatione filiationis, & puritatis ipsorum possessionem obtinuit. In hac quoque Ecclesia contigit, quod cum quidam ad Capellaniam consequendam in eius Choro ministrandam

trandam ad quam præsentatus fuerat memoriale suę prosapiæ tradidisset, quia vnum ex eius auis expositum esse dixit, illicô perpetuum silentium ei fuit impositum, & Capellaniam amisit. Item euenit non multis retro annis quod cum quidam infás exponeretur ad ianuas Ecclesiæ ab inuentoribus inspectus, repertus fuit circuncissus, & omnes verisimiliter existimarunt, parentes eius esse Iudæos. Et nonnunquam eandem expositionis fortunam passi sunt in hac Ciuitate infantes Æriopes: qua de causa expositorum genus nostra Cordubensis Ecclesia ex toto corde abhorret erga eius Præbendas obtinendas, sed iam riuos claudamus sat prata biberunt. Concludo igitur non obstantibus eruditissimis responsis Dianæ, & Guitbaldi, expositos prorsus repelendos esse iuxta statutum nostræ Ecclesiæ, cum propter à me adducta, tum propter grauissima inconuenientia, quæ ex eorum receptione sequerentur. Ita teneo, et propria manu subscribo. Saluo melius sencientis iudicio. Cordubæ die 30. Aprilis Anno 1652.

Martin.º de Orellana, Cordub.ˢ Eccl.ᵉ
Indignus Canonicus Doctoralis.